ANNALES ECCLESIASTICI.

JESU CHRISTI ANNUS 546. | VIGILII PAP. ANNUS 7. | JUSTINIANI IMP. 20. TOTILÆ REG. 5.

I. Equitur annus Domini quingentesimus quadragesimus sextus, idemque belli Gothici a Procopio undecimus numeratus, & post Consulatum Basilii quintus: quo Totilas Spoletum in deditionem accepit, Perusiumque obsedit; diuque obsidione frustra tentata, demum dolo necans Cyprianum, cui custodia mandata erat, occupavit. Scribit hæc omnia Procopius (*a*) pluribus, qui & tradit capti eo modo Perusii a Totila præfectos custodiæ Meledium & Ulisium transfugas. Sed quomodo tunc contigerit sanctum Herculanum ejusdem civitatis Episcopum subire martyrium, ex S. Gregorio sic habeto (*b*):

(*a*) *Procop. de bello Goth. l. 3.*

(*b*) *Greg. dial. l. 3. c. 13.*

PAGIUS SÆC. VI. Anno Eræ Hispan. DLXXXIV. A.C. 546.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6039.

⊙ 23. G. ☾ 15. P. 8. April. Indict. 9.

JESU CHRISTI 546.

VIGILII PAPÆ 10.

JUSTINIANI IMP. 20.

TOTILÆ REG. 6.

I. *Post consulatus.*

[1] Hic annus ista formula notatus: *Post Consulatum Basilii V. C. V.* vel secundum modum loquendi Victoris Tununensis; *post Consulatum Basilii V. C. anno VI.*

A num. I. ad VIII. Est hic annus belli Gothici XII. non vero XI. Quare quæ Baronius narrat, ad annum præcedentem revocanda. Procopius itaque lib. 3. capite 12. ad caput 16. refert gesta anno XI. belli Gothici, aitque *Totilam Firmum, Asculum, Spoletium & Assisium* cepisse: *Perusiam* tamen frustra tentasse: deinde *Romam* profectum famem arctiorem premere cœpisse Romanos. In summas redactus angustias *Belisarius* qui ex Urbe Ravenna ubi erat, juvare obsessos non poterat, præsertim cum exiguis copiis, *Epidamnum* se confert, & *Narses* Eunuchus Erulos sibi adjunxit. Interim Valentinus & Phocas Gothos Romam obsidentes lacessunt, *Bessa intra Urbis muros residente*. Verum Valentinus & Phocas, cum se ad hostem invadendum cum majoribus copiis accingerent, ex insidiis occisi sunt. *Eodem tempo-*

II. *Gesta anno superiori in bello Gothico.*

NOTÆ [1] P. C. *Basilii* V. vel an. VI.
Vetus inscriptio, Ticini in S. Epiphanii apud Muratorium tom. 1. pag. CDXXVI. 3.

DEP. SVB. D. V. KAL. NOVEMBR.
DVODECIES P. C. PAVLINI. IVN. V. C.
IND. X.

Novella Justiniani CXV. Regula S. Cæsarii in vetusto codice monasterii S. Maximini Trevirensis, apud Martenium itineris Litterarii P. 11. pag. 286. *In Christi nomine fundatum est monasterium virorum Dei in civitate Arelatensi a S. Aureliano Episcopo; jubente sancta memoria Childeberto Rege Francorum XV. Kal. Decemb. Indict. XI. ANNO QUINTO post Consulatum BASILII junioris.* Error cubat in annis indictionis; nam *anno quinto* post consulatum Basilii more Marcelliniano in cursu erat indictio *nona*; & initio Septembris eo anno, indictio *decima*. GEORGIUS